

galea, cum cornu vel cratera, & plurima tenementa cum calcari, cum strigili, cum arcu, & nonnulla cum sattagi.

Thaxted.
Tiltey.

In Blackwater sinum, quem Borealem hujus Centuriæ latus claudere dixi, & optimis ostreis scatet, quæ *VVallfleot* vocamus, confluunt duo flumina quæ magnam agri partem alluant, *Chelmer* & *Froshwell*. *Chelmer* fl. ex interiori regione, quæ sylvis vestita effluens decurrit primum per Thaxted mercatorium oppidulum in colle per quam amœne situm, & Tiltey, ubi cœnobiolum Mauritius filius Gilberti olim posuit, ad *Estantes*, ad *Turrim* nunc *Efton*, quam incoluerunt Domini de *Lovanio* dicti, utique Godfredo fratre Henrici ejus nominis Sexti Brabantia Ducis prognati, qui huc missi ad *Honorem de Eya conservandum*, ad sextam usque progeniem Barones habitu sunt. Sed sub Edwardo Tertio deficiente prole mascula, per filiam hæreditas & dignitas ad Guilielmum *Bourgchier* demigravit, cujus posteri brevi

Dunmow.

Comites fuerunt *Essexia*. Inde *Dunmow*, quod olim *Dunmawg*, in libro Anglia censuali *Dunmaw* dictum, oppidum situ per amœno in colle modice prono prolabitur. Ubi *Iuga* quædam Monasterium Anno m c xi fundavit. Sed *Guilielmus Bainardus*, de quo *Iuga* tenebat, (sic scribitur in privata Monasterii illius historia) *villam de Parva Dunmow*, per feloniam amisit Baroniam suam, & *Rex Henricus Primus* illam Roberto filio *Richardi* filii *Gisleberti Comitis de Clare*, & heredibus suis cum *Honore Castrum Barnardi Londini dedit*. Qui *Robertus* tunc fuit *Dapifer Regis Henrici*. Hæc ipsissima sunt authoris verba, nec mihi fas existimo ea interpolare, quamvis in illis sit *Alyxenopæs*, qui in optimis historicis aliquando occurrit. Nondum enim ex illa familia fuit Comes de *Clare*.

Barones
Rich. Hat-
field Pe-
verell,
alias *Pe-*
perking,
Liber S.
Martini
London.

Nunc paulum utrinque à flumine paulisper digrediamur. Hinc haud procul *Plaify* sedet, Gallice sic dicta à placendo, quondam *Estre*, quæ *Constabulariorum Angliae* ultimis *Saxonum annis*, & postea (ut liber *Eliensis* testatur) habitatio. Ad quam duo magna authoritatis principes, *Thomas de VWoodstock* Dux *Glocestriae*, Comesque *Essexia*, & *Ioannes Holland* Comes *Huntingdonia*, *Regis Richardi Secundi* frater uterinus, qui de honore *Ducis Exoniæ* deturbatus, cum inter abruptam contumaciam, & deforme obsequium modum tenere non potuerint, fata complerunt. Ille enim ob præcipitem contumaciam hinc inopinato Caletum abreptus & suffocatus: hic ab *Henrico IV*, ob seditionem hoc ipso loco securi percussus, ut ipsius *Woostochii* manibus poenas dedisse videatur, cuius exitii author habebatur. Inde *Chelmer* non longe à *Leez* defluit cœnobiolo quondam à *Geronis condito*, quod hodie sedes *Baronum Riche*; qui *Richardo Rich* viro prudentissimo *Angliae Cancellario* sub *Rege Edwardo Sexto* hanc dignitatem acceptam ferunt. Pauloque inferius sedet *Hatfeld Peuerell* à possessore suo *Ranulpho * Peperello* sic dicta, qui in uxorem habuit illa ætate forma supra omnes venusta filiam *Ingelrici* viri inter *Saxones* prænobilis, quæ *Collegium* hic posuit, quod nunc quasi dirutum, & in fenestra ecclesiæ, cuius pars tantula adhuc supereft, tumulatum jacet. Hæc marito peperit *Guilielmum Peuerell* *Castellanum Doveria*, *Paganum Peuerell* Dominum de *Brun* in

Comitatu *Cantabrigiæ*, & Regi *Guilielmo Conquæstori*, cujus erat pellex, *Guilielmum Peuerell* *Nottinghamiæ* Dominum. Sed ad *Chelmerum* redeamus, qui jam *Chelmerfore*, vulgo *Chensford* petit (ubi ex distantia à *Camalodvno* antiquum *CANONIVM* fuisse videatur.) Hoc satis amplum est oppidum in ipso quasi Comitatus medio inter duo flumina quæ concordibus aquis se hic conjungunt intersitum, *Chelmerum* ab *Ortu*, & aliud ab *Astro*, cui si nomen *Can* (ut aliqui volunt) *CANONIVM* fuisse non est cur dubitamus. Patrum memoria monasteriolo à *Malcolm Rege Scotorum* constructo fuit celebre, nunc tantum *Afys*, (sic vocant foræ in quibus cauſæ totius agri bis quotannis coram Iudicibus ventilantur) insigne. Reflorere vero incepit, cum *Mauritius Episcopus Londinensis*, ad quem spectavit, pontes hic construxerit regnante *Henrico Primo*, viamque deflexerit, quæ antea per *VVritte* amplitudine suæ parochiæ notissimum duxit, quod *Rex Henricus Tertius* Roberto *Brus* Domino *Anandiæ* in *Scotia*, cujus uxor ex hæreditibus erat *Ioannis* ultimi *Cestriæ Comitis*, cum noluerit *Cestriæ Comitatum* inter colos muliebres distrahi, concessit: Edwardusque Secundus *Humfredo de Bohun* Comiti *Herefordiæ* & *Essexia*, cum *Brusii* posteri à fide defecissent, donavit. Nuperrime autem cum *Iacobus Rex* primis regni auspiciis honorem Baronum pluribus impertiret, *Ioannem Petre* Equitem clarissimum Baronem *Petre de Writte* creavit. Cui pater erat *Guilielmus Petre* vir perspectæ prudenter & exquisitæ doctrinæ, non tam memorandus ob munera quæ in Republica obivit amplissima, utique qui *R. Henrico Octavo*, *Edwardo Sexto*, *Mariae*, & *Elizabethæ* à sacris suit consiliis, & sèpius ad exterios Principes Legatus; quam quod bonis studiis innutritus de bonis literis in Academia *Oxonensi* bene, & de genisis vicinis apud *Engerston* pie meruerit.

Froshwel fl. qui verius *Pant*, & demum *Blackwater* dictus, fonte exili prope *Radwinter*, quod fuit Baronum *Cobham*, emissus, cum longo decursu nihil viderit præter *Bocking* sacerdotium opimum, *Cogshall* à Stephano Rege *Cluniacensis* positum, & *Hwittam* ab *Edwardo Seniore* rege dcccc xiii ædificatam, quæ etiam *Eustachii Comitis Boloniensis*, (ut ferunt) *Honor* erat; *Chelmerum* obvium habet, qui solidus haud procul à *Danbury* in colle satis edito, quæ diu habitatio fuit insignis familiæ *Darciorum*, delatus, *Woodham-Walters* præterfluit, vetustam *Dominorum Fitz-VValters* sedem, quorum altissima cum antiquitate, conjuncta fuit nobilitas; à *Roberto filio juniori Rich. filii Gisleberti Comitis repetita*, sed superiori sèculo in *Ratclifforum* stirpem per filiam translata, qui ad *Comitum Suffexia* dignitatem proiecti *New hall* ædes magnificas parum hinc dissitas jam incolunt. Hæ olim ad *Butlers Ormondiæ* Comites spectarunt, deinde ad *Thomam Bollen* Comitem *Wiltoniæ*, à quo permutatione facta *Rex Henricus VIII accepit*, maximis impensis adauxit, novoque nomine *Beau-Lieu* appellavit, quod nunquam tamen apud populum invaluit.

Deinde *Chelmer* aliis confluentibus aquis insula amnica

Chens-
ford.

CANO-

NIVM.

Writte,
olim *Estre*.

Wood-
ham-Wal-

ters.

Barones

Fitz-Wal-

ters.

Newhall.

Lelandus

in Cygne-

am Can-

tionem.

Camalo-
dunum.

amnica